

Valde anxium est cor meum, eo quod de cordis et animi vestri quiete scire nihil mereor; sed dudum mandavi divino haec iudicio discedens, tandem iuvante Deo cognoscere credo. Mi venerande pater, celandum non esse, immo cum nimio timore ac dolore intimandum iudicavi, quae nuper in visu de misero Fulrado vidi vel audiivi. Nam in purificatione sanctae Mariae rogatus fui a quodam presbitero, ut ad ecclesiam suam causa predicationis pergere deberem. Quod et feci. Sed me post nonam reverte, sumpto cibo, devotius solito residui diei partem transegi. Nocte vero eadem statim, ut primitus obdormivi, venit quidam ad prepositum, petens, ut filium eius parvulum, quia moriebatur, aqua baptismatis ablui faceret. Qui mox me suscitato illuc ire precepit. Quod et feci. Cumque baptizato parvulo redirem ad lectulum, videbar¹ mihi devenire in quandam mansiunculam, in qua idem frater² nudus in lectulo, stipula tantum subiecta, vetustissimo ac brevi palliolo tectus, in nimia anxietate iacebat. Nam nunc in uno nunc in alio latere vertebatur, nunc supinus nunc prostratus, nunc erectus nunc contractus, nunc sedens nunc iterum iacens, more colubri potius quam hominis anxianoolvebatur. Memoratum vero pannum nunc uno nunc alio superponebat membro, michique valde dubium erat, utrum frigus an ardorem voluisset arcere, cum caro eius ob nimium ruborem similior igni videretur quam carni. Etiam, quod plus stupui, voce nimium terribili clamabat dicens: 'Ve tibi miserande! Ve³, quid dilexisti delectamenta mundi! Heu, heu, quia pulchritudinem dilexisti vestimentorum, iccirco nunc tam turpem pateris nuditatem. Quid tibi gulae profuit appetitus? Quid superbia? Quid somnolentia? Quid tepiditas? Quid otiositas, quam semper amabas? Ecce nunc miser tot pateris detrimenta, quot gaudia in saeculo amasti!' Haec et plura huiusmodi semper a capite repetens incessanter iterabat, frequentissime tamen auri argentique cupiditatem nominatim exprimebat. Reliqua vero, quae prefatus sum, uno verbo clauderat dicens: 'Quid tibi profuerunt delectamenta mundi?' Cumque haec tremula horrendaque voce diutissime clamaret, me id considerante et amarissime flente, subito ad me respexit et ait: 'Quid tu hic?' Cui ego respondi: 'Tuam amarissimam paenam conspicio et de me valde sollicitus ingemisco'. Interrogavi autem illum, si esset illi alia pena? Qui ait: 'Est utique, et multo ista durior. Nam inter

1) 'videbatur' Hs.

2) Fulradus.

3) 'Vt' Hs.